

**Exercitatio philologico-medica. De incubatione in fanis deorum medicinae causa olim facta ... / [Heinrich Meibom].**

**Contributors**

Meibom, Heinrich, 1638-1700.  
Conring, Hermann, 1606-1681.  
Universität Helmstedt.

**Publication/Creation**

Helmestadii : Typis Henningi Mulleri, 1659.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pgvf73pt>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

EXERCITATIO PHILOLOGICO-  
MEDICA.

DE

INCUBATIONE  
IN FANIS DEORUM MEDICINÆ  
CAUSA OLIM FACTA,

QVAM  
DEO AVSPICE,

PRAESIDE

*Viro Amplissimo Clarissimoq̃*

HERMANNO CONRINGIO

Philos. & Med. D. hujusq̃ & Politices P.P.

S. Reg. Majest. Suecicæ, ut & Illustriss.

Officis, Principis Consiliario

Intimo &c.

*Fautore & Patrono suo perpetim colendo  
publico examini subicit*

HENRICUS MEIBOMIUS

Lubecensis

*Ad diem Augusti.*



HELMESTADI

Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typ.

ANNO MDCLXIX.

THE CITIZEN'S PHARMACEUTICAL  
MEDICAL  
OF

INGVARTIOME  
FARMACIA  
CAUSA OLIMFACTA

G. N. N. M.  
DEO AVSPICE

FERRMANNO CONFRINGIO

Offic. Principis Confringio  
2. Reg. Major. Sacerdot. in S. Iuliano  
Dilect. & Med. D. Rinsque & Polices P. B.

FERRICUS MILIOMIUS

PHARMACEUTICAL  
OF

*VIRO CLARISSIMO ET EXCEL-  
LENTISSIMO*

**V**ALENTINO HENRICO VOGLERO  
Phil. & Med. D. hujusque in Illustri Juliâ  
P.P. Præceptori & fautori suo multis nomini-  
bus perpetim colendo,

**N**on est interdictum aut à rerum na-  
tura, aut à lege aliqua atq; more,  
ut singulis hominibus ne amplius  
quam singulas artes nosse liceat, in-  
quit præclare Cicero: quin potius  
ne in doctorum quidem censu habendi  
sunt, qui non omnibus ijs artibus, quæ li-  
bero homine dignæ, expoliti. Ut cætera  
non tangam, de literis nunc sermo nobis &  
philologiâ. Illa enim veræ eruditionis sal  
est, quâ nisi condiatur, exit in putredinem.  
Sunt verò oppido quam pauci, quibus ho-  
diè hæc studia ad palatum. Quidam unius  
tantum doctrinæ cancellis se circumscri-  
bunt;

bunt, ubi sub tam lentis maxillis mandunt, &, ut cum Comico loquar, lolio vititant tam vili tritico. Alij, his deteriores, ut sunt ἀφιλόλογοι, etiam videri volunt, summumque pretium putant nominis, nihil attigisse liberalioris eruditionis. Et hi sunt, qui tanquam supervacua irrident, nec tractari a quoquam citra neglectum necessariorum posse autumant. Ultimi denique homines βάναιστοι & è fæce Romuli has literas aspernantur, quod nihil faciant πρὸς τὴν ἀλφίλα: & id quidem hodie plerorumque intercalare carmen est. Verum hi liberales artes tractant tanquam quæstuaras, digna, ita me Musæ ament, ingenia, quæ in sellulariorum officinis consenescant. Prima autem hujus contemptus causa est ignorantia, dum, quæ juvenes non didicere, senes fatagunt contemnere. Pulchrè Sidonius: *Naturali vitio fixum radicatumque est pectoribus humanis, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices.* In juventute autem multi hæc negligunt ob ingenij sterilitatem, plures ob  
labo-

laboris fugam, plurimi ob voluptatis desi-  
derium. Et hi deinde, quod ipsi non sunt  
assecuti, alijs *ὡς νέων Ἰν Φάτυν*, invident.  
Dumque ex suo ingenio omnes æstimant,  
immorari nos his tricis cum jacturâ serio-  
rum dicunt. Verum non obstant hæ disci-  
plinæ per eas euntibus, sed circa eas hæren-  
tibus. Et immoramur nos quidem illis,  
sed non immorimur, & quotidie his initijs  
nos ad majora præparamus. Sicut subdu-  
cto in portum navigio licet cochleolam in  
littore colligere aut bulbum, hac tamen le-  
ge, ne vocantem interim nauclerum negli-  
gas, & navis, te relicto, abeat: ita etiam li-  
cebit in philologorum littore flosculum ali-  
quem decerpere vel gemmam, dummodo  
id fiat sine seriorum intermissione. Lauda-  
to patrifamilias satis non est eo tecto tegi,  
quod cœli tantum defendat injurias, sed et-  
iam quod visum & oculos delectet: Non  
placet nitidioribus ea suppellex; quæ neces-  
sarijs usibus tantum sufficit, sed in cujus ap-  
paratu sit & aurum & gemma, & quod  
sumere

sumere in manus atque aspicere sæpius liceat. Illi quidem (neque enim diffitendum est, qui solis litteris sua studia metiuntur, nesciunt, quid fructus floribus præstent, & aliquando pro Junone nubem, Ixionis instar, amplexabuntur. Nobis longè alia mens, & placet Atheniensium propositum apud Thucididem: φιλολογῶμεν μὲν εὐελείας καὶ φιλοσοφῶμεν ἄνευ μαλακίας.

Te hic appello, Vir Clarissime, (coram competente enim iudice, id est, harum litterarum perito hæc res agi debet) Te, inquam, appello, & quæ à vulgo doctorum sine pastoritiâ fistulâ & ludibrio non abeunt, ad cognitionem Tuam defero & censuram. Scio quidem graviora Te nunc detinere studia: sed jucundum interdum videtur, principibus quoque viris, à siliaribus epulis venire ad rusticorum cænulam. Nec idcirco minor est summus Deorum Jupiter, si aliquando vel Arcadiæ tuguriola vel Baucidos intravit tabernaculum. Erit fortassis tempus, si DEVS vitam prorogaverit, ubi  
gravio-

graviora grandioraque dabimus, nunc te-  
nui farre & molâ falsa cogimur litare. Non  
erit verò facile quisquam, quem hîc arbi-  
trum eligere vel rectius possim vel potius  
velim. Tu enim ille es, qui studia mea, si  
quisquam, æstimare novit: ego is, cui Tuo  
sapere consilio contigit: exspecto igitur cen-  
suram ab acri iudicio Tuo, non ab affectu,  
quem erga me longe tenerrimum esse scio,  
profectam. Quod si Tibi placuerit hæc ex-  
ercitatio, genium habere iudicabo, & mo-  
rus sim, si morer illos è plebeiâ cavea plausus.  
Sin minus, & Tibi quoque displicuerit,  
jubebo deferri

— — — *in vicum vendentem thus & odores*

*Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.*

Id interim hic profiteor, nihil me alienum  
in armum sustulisse, nec fecisse ab alijs ver-  
suram, quia in hoc argumento prævit ne-  
mo. Quod si quis conatum hunc nostrum  
ob materiæ tenuitatem damnaverit, do-  
quidem illi in hac ætate manus, sed noverit,  
studium nostrum sine Te, sine Cagnatis,  
Dona-



Doñatis, Juniis, Mercurialibus, Reinesius,  
Hofmannis, qui ex illo mustaceo laureolam  
quæsierunt, non posse damnari. Quorum  
tanta apud me & tam sancta est auctoritas,  
ut errare cum illis, quam sapere cum cæte-  
ris malim. Vale, Vir Clarissime, & me,  
quod facis, amare perge. Dabam ex musco  
meo, in Acad. Julia. Pridie Non. Augusti  
Anno æræ Christ. MDCCLIX.

πολυπαλαιομαθοσύνης Τῆς αἰ-  
τωρ perpetuus

HENRICUS MEIBOMIUS.

ΣΥΝ ΔΕΩ

T H E S I S. I.

**N**on esse quicquam omnium, quod possit in primordio sui persisi: Sed in omnibus ferme ante spei rudimentum, quam rei experimentum esse, prudens Apuleii effatum est in Florid. Ipse usus meditando primum artes extudit, quas dein diligentia sequentium perfecit, sed ita perfecit, ut & nobis *ἡμῶν τοῖς μετόπισθεν* semper relictum sit, in quo ingenij vires liceat experiri. Nimirum tardè magna proveniunt, nec simul sacra sua tradit Natura: nec unquam ijdem, artem qui condunt, absolvunt. Ipse orbis in promptu est, cultior indies & instructior pristino, quod jam suo tempore fassus est Tertullianus l. de anim. incis. 30. Quod verò non ibi stiterit doctrina, sed latius-latiusque sese explicuerit, res ipsa docet, & jam ante Tertullianum, quasi ex oraculo, prædixit Seneca Nat. quæst. l. 7. cap. 25. Veniet, inquit, tempus, quo ista, que nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia. Fruitur enim ætas nostra beneficio præcedentis, & plura novit, non tam suo præcedens ingenio, quam viribus innitens alienis, & opulentâ antecessorum doctrina. Id quod jam tum eleganter observavit summus Philosophus c. ult. libb. de sophist. elench.

II. Quæ omnia huic fini dicta & sapientum testimonijs confirmata sunt, ne quis solam medicinam sive

A

fato

fato quodam, si venovercantis naturæ injuriã tenuibus  
ortam in itijs credat. Commune hoc omnium artium,  
quæ maximè nascentes rudes sunt, sed in processu subti-  
litas earum crescit. Fuit sanè tempus, cum adhuc ars  
nostra ἐν γάλαξι καὶ σπαργάνοις tenuem duceret spiritum;  
fuit, cum quidvis potius quam Medicina esset, vanis qui-  
busdam superstitionibus & καταβαυκαλισμοῖς definita. Ele-  
ganter Seneca. Epist. 95. *Medicina quondam paucarum fuit sci-  
entia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent  
paulatim.* Et has illi operas non tam arte quadam, quam  
ipsa quasi naturâ duce exercebant. *Illud, verba sunt Quin-  
tiliani l. 2. orat. in st. cap. 17, admonere satis est, omnia que ars  
consummaverit, à natura initia duxisse: aut tollatur medicina,  
qua ex observatione salubrium atque his contrariorum reperta  
est: & ut quibusdam placet, tot constat experimentis. Nam &  
vulnus deligavit aliquis, antequam hæc ars fuit: & febrem quie-  
re & abstinentia, non quia rationem videbat, sed quia valetudo  
ipsa coegerat, mitigavit.* Non tunc solerti cogitatione pro-  
bata per experientiam medicamenta certo loco certoque  
tempore adhibebantur, sed quocumque per similes diffi-  
milesque casus observatio duceret, morborum id mederi  
incurribus credebant. Adeoque non sanabat tunc me-  
dicina, sed quicquid videbatur sanasse, erat medicina.

III. Dudum vero, est, quando ingenia quædam ἐυ-  
φύετα nænas illas è sacrario suo ad nutricum cunas eli-  
minare, recte vero inventa perficere sategerunt: & ex eo  
tempore immane quantum divina ars auxit. Eoque in-  
tensior diligentia quisque huic studio cœpit incumbere,  
quo carior, sua cuique sanitas μεθ' ἧς τέθλε πάντα καὶ λάμ-  
πει χαρίτων ἕαρ ut ait Aristo Sicyonius apud Philologum Nau-  
cratitem diptosoph. lib. ult. & nisi carenti doloribus morbis-  
que, vita ipsa pæna sit, ut loquitur Plinius, l. 28. c. 1.

IV. Quo feliciora verò nostra nunc sunt tempora in quæ incidimus, eo suavius fuerit, speculari præteriti temporis caliginem. Et si virorum illustrium ipsa prope modum crepundia & infantiam nescio qua voluptate cognoscere satagimus, quanto magis ipsius artis nostræ, quam suspicimus & admiramur, delectabunt incunabula? Nec tamen operæ fortassis est pretium, omnia illa huc cumulare, quæ de origine & progressu artis nostræ utiliter alibi dicuntur.

V. Id tamen haud videtur prætereundum (quam facilius inter horologia, quam inter scriptores de primo auctore Medicinæ conveniet) originem divinam Medicinæ ab omnibus assignari. Hinc τὰς ἰατρικὰς σωμάτων γινόμενας τῆς ἀγαθῆς προνοίας τῶν θεῶν εἶναι scribit *Salustius Philosophus* l. de dijs & mundo. cap. 9. *Lucianus* in Abdicato ἰατρικὴν vocat πρᾶγμα ἱερὸν ἢ θεῶν παιδεύμα ἢ ἀνθρώπων σοφῶν ἐπιήδευμα. Et *Iulianus Imp. in Epist. Græc. Varior.* ita inquit: τὴν ἰατρικὴν ἐπιστήμην σωτηριώδη τοῖς ἀνθρώποις τυχεῖν τοῦ ἐνγαρῆς τῆς χρείας μαρτυρεῖ. Διὸ ἢ ταύτην ἐξ ἔργου πεφοιηκέναι δικαίως φιλοσόφων παῖδες κηρύττουσιν.

VI. *Proclus* in *Timæo* p. 49. lib. 1. Minervæ munus esse docet, unde & Minervæ epitheton ὑγεία est. Vide *Suidam* in v. ὑγεία Ἀθηναῖα. Sed & Romæ MINERVÆ MEDICÆ fanum fuit. *Cicero* quoque lib. 2. de divinat: si, inquit, sine Medico medicinam dabit Minerva, Musa scribendi legendi ceterarumque artium scientiam somniantibus non dabit?

VII. *Plinius* lib. 29. cap. 1. disertè ad Deos in genere refert, quod etiam facit *Ancutor lib. de vet. Medicina*, antiquus quidem, sed minime Hippocrates, potius (quod placet Amplissimo Præsidi) ex Acronis scholæ sectatoribus unus. Ne nunc de alijs quid dicam sive dijs, sive

deorum filijs, quibus inventio hæc tribuitur. Id nimirum  
Medicæ nostræ artis est,

*Quod natum Phæbus docuit, quod Chiron Achillem,*

*Quod didicere olim Podalirius atque Machaon*

*A genitore suo, qui quondam versus in anguem*

*Templa Palatina subijt sublimia Roma. ceu canit ex ipsa*  
schola Medica *Marcellus* carmine de Medicina quod à  
nonnullis perperam adscribitur Vindiciano. Cur vero  
ita unanimi consensu id ipsum auctores tradant, elegan-  
ter explicat *Quintilianus* senior declamat, 268, cujus pro-  
inde verba merentur adscribi: *Medicina*, inquit, *auctores*  
*ante omnia accepimus Deos: sive (ut maximè reor) ut hæc infirmi-*  
*tas hominum haberet adjumenta aliqua, atque solatia, sive tan-*  
*zum huic arti tribuere majores, ut eam vix crederent humanis*  
*potuisse ingenijs inveniri: sive ipsa Medicina per se sacrum est.*  
Vide quæ notavit *νεβηλωτατος Barthius* ad *Rutilij* itinera-  
rium.

IIX. His initijs eo deinde est deventum, ut ægrotos  
Dei alicujus sacello inferrent, & quam ibi curationem ad-  
hibere in somnis à Deo monerentur, eam persequerentur.  
Tantum non disertè id ipsum *Plinius* noster loco jam cit.  
docet: *Dij*, inquit, *primum inventores suos assignavit.* (me-  
dica ars) *& cælo dicavit. Nec non & hodie multifariam ab*  
*ORACVLIS medicina peritur.* Recurrebant vero illi homi-  
nes ad oracula, vel quod certiozem à dijs medicinam ex-  
spectarent, vel quod Medicis tum temporis destitueren-  
tur. Notat postèrius de *Lacedæmonijs* *AElianus* l. 12. c.  
50. Var. hist. *Εἰ δὲ πλεῖ ἐδεήθησαν τῆς ἐκ Μυσῶν ἐπιχειρίας, ἢ νοσή-  
σαντες, ἢ παραφρονήσαντες, ἢ ἄλλο ἢ τοιοῦτον δημοσία παθόντες, με-*  
*τεπέμποντο ξένους ἀνδρας, οἷον ἰατρος, ἢ κατὰ πτοοχρηστον.* Et  
vero monitu oraculi *Pythij* *Apollinis* accersitum à *Lacæ-*  
*dæmo-*

Ammonij Thalétem Cretensem ad sedandam pestem,  
quâ civitas laborabat, auctor est *Pausanias in Atticis*.

IX. Cum primis autem, ut diximus, cum medicinæ  
causa oraculum consulerent, faciebant incubando in sa-  
cello alicujus Dei. Cujus rei vestigia non pauca in o-  
mni antiquitate supersunt, quæ hoc tempore legere est  
animus, ut quæ tum temporis Medicinæ facies fuerit, quid  
de eâ sentiendum, imo quid ex ea Medicis sperandum, cla-  
re pateat.

X. Vocabant autem, ut à nomine incipiam, *incu-  
bationem*, Græci ἐγκοίμησιν. Unde apud *Strabonem* lib. XI.  
p. 350. dicitur in urbe Navarca esse *μαντήσιον ἐγκοιμαμένων*,  
*oraculum incubantium*. Vox autem *incubare* occurrit apud  
*Plautum* in hoc significatu in *Cureul. act. I. sc. 1. vers. 6. &*  
*act. 2. sc. 2. v. 16.* pro quo *recubare* dixerunt *Prudentius* in *Ha-  
martigenia & Hieronymus* ad *Eustochium*, & *Tertullianus*  
lib. de corona militis.

XI. Usurpatur autem hæc vox non tantum de eâ,  
quæ Medicinæ ergo in templis fiebat, incubatione, sed  
de alia etiam quavis, ut ex *Virgil. VII. Æneid. vers. 87.* pa-  
tet, de nymphæ Albuncæ fano

— — — huc dona facerdos  
*Cum tulit, & cesarum ovium sub nocte silenti*  
*Pellibus incubuit stratis, somnosq; petivit,*  
*Multa modis simulacra videt volitantia miris,*  
*Et varias audit voces, fruiturq; deorum*  
*Colloquio.*

In genere igitur omnes, qui à dijs aliquid petere vole-  
bant, in eorum, quorum ope indigebant, cubabant fanis,  
tanquam responsum ab ijs vel vigilantes, vel potius per  
somnia accepturi. *Servius Honoratus* ad illum divini Poëtæ  
locum ita commentatur: *Incubare proprie dicuntur, si qui*

dormiunt ad accipienda responsa. Unde est; ille incubat Jovi, id est, dormit in Capitolio, ut responsa possit accipere. Pseudo-Cornutus ad Persij Sat. 2. v. 56. Acron tradit, quod in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, & contra eas sub divo totidem equestres filiorum Aegypti: ex iis autem statuis dicebantur per somnum dare oracula. Huc faciunt verba Lycophronis in Cassandra, ubi de monumento Podalirij agit:

Δορᾶς δὲ μῆλων ἴμβρον ἐγκοιμωμένοις

Χρήσει καὶ ὑπὸν πᾶσι νημερῆ Φάλιν.

Et de Calchantis monumento Strabo lib. vi. pag. 196. ἐναγίζεσι δὲ αὐτῷ μέλαινα κροῖον οἱ μαντεύόμενοι, ἐγκοιμώμενοι ἐν τῷ δέρματι. Illustris vero locus est Ciceronis lib. i. de divinatione: Atque etiam qui praeerant Lacedaemoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphae fano, quod est in agro propter urbem, somnandi causa incubabant, quia vera quietis oracula ducebant. Vide de hac re ex principum Criticorum numero Jo. Bapt. Pium syllog. annot. poster. cap. 10. & Brodaum lib. 3. miscellan. cap. 31. quorum scrinia compilare, religio mihi est.

XII. Uti autem duo nobis docete proposuimus i. medicinam petitam è fano deorum, idque 2. nocturna incubatione: ita removendæ nobis sunt non absimiles superstitiones. Quoad posterius separandæ hic sunt nocturnæ illæ incubationes, quas pervigilia dicebant, Græce πανυχισμὲς, solebantque honoris ergo Cereri, Junoni, Baccho, Fortunæ, Priapo, Veneri, in ludis quoque secularibus &c. celebrari: in ijs enim nihil aliud erat, præter, ut Comici verbis utar,

*Lucrum, ludum, jocum, festivitatem, ferias,*

*Pompam, penum, potationem, saturitatem, gaudium. Vide Politian. Miscel. cap. 58. Lips. Elect. lib. i. cap. 5. Tiraquell. ad Alex. ab Alex. lib. 6. c. 19. & Elmenhorst. ad Arnob. p. 107.*

Qui

Qui mos ad Christianos quoque pervenit: unde celebra  
illa in primitivâ Ecclesiâ Paschæ & Pentecostes pervigi-  
lia. Vide *Didac. Covarruv.* Var. Resolut. l. 4. cap. 19. *Io.*  
*Chocier.* Fac. histor. cent. 2. c. 74. & 75. *Io. Vicecomit.* de  
ritib. baptism. lib. 1. cap. 24. & *Jo. Gerhard. Vossium.* comm.  
ad Epist. Plinij de Christianis p. 30.

XIII. Quoad prius, separanda est non multum ab-  
similis veterum superstitio. Solebant enim, quoties de-  
orum suorum templa adibant, bonæ scævæ gratia, inde  
liquid, sive id placentæ frustulum, sive unguentum foret,  
sive frons virens, decerpere, asservareque id ipsum diligen-  
ter, in certam spem ingressi, fore, ut hoc remedio contra  
omnes morbos uti liceret. Inde & rei illi decerptæ no-  
men *ὕγισια* inditum, ab effectu scilicet, quem ab eâ exspe-  
tabant. Auctor mihi Grammaticorum Græcorum fa-  
cile doctissimus *Hesychius*: *ὕγισια, ἄλφιτα ὀίνῳ καὶ ἐλαίῳ πεφυρα-  
μένα, καὶ πᾶν ἐκ θεῶν φερόμενον, εἴτε μύρον, εἴτε θάλλοι.* hoc est:  
*anistas: farina vincta & oleo permixta, & quicquid ex Dei fano  
fertur, sive unguentum, sive frons virens.* Nisi enim hanc ex-  
plicationem admittas, non video, cur illa è fano delata  
nomine *ὕγισιας* veniant.

XIV. Sed nos ad nostram revertamur incubatio-  
nem, missis à materia nostra alienis. Observare vero e-  
m licet tum apud veteres, tum recentiores. Ita Quar-  
illa apud *Petronium* (qui ipse Medicus fuit, siquidem fides  
arbitranda *Volaterrano lib. 18. comm. urbanor.*) in Satyrico:  
*osiquidem illa nocte vexata tam periculoso inhorruì frigore, ut  
tertiana etiam impetum timerem, & ideo medicinam somno pe-  
ij, jussaque sum vos perquirere, atque impetum morbi monstrata  
bilitate lenire.* Cui mox *Eucolpius*: *Siquod præterea aliud  
medium ad Tertianam Deus illi monstrasset, adjuvaturos nos  
winam providentiam vel periculo nostro.* Tempore *Adriani*  
Imp.



Imp. mulier cæca in somnio monita est, ut Imperato  
genua oscularetur, quæ & illo remedio visum recep  
ceu narrat *AEl. Spartianus, in vitâ Adriani. p. 133.* Et Imp  
rator *Antoninus Philosophus lib. 1. εἰς εαυτὸν: Diis, inqu*  
*acceptum fero, quod per somnum tum alia remedia mihi sunt*  
*monstrata, tum, ὡς μὴ πλῦεν ἄμα, καὶ μὴ ἰλιγγίαν.* Et hinc  
*ὄνειργμάτων* quoque ineptias transijt. Neque enim al  
fundamento nititur *Artemidori* illud, qui sub Antonin  
Pio vixit lib. 1. *ὄνειργμα]. ἐν ἰσρῶ δὲ καθεύδειν, νοσῶντι ὑγίει*  
*παραγορεύει.* Id quod jam tum doctissimo *Vouuereno* visu  
fuit in notis ad *Petronium*.

XV. Ita constat ex historijs multas herbas ex or  
eulo commendatas esse. De *Aristolochia* *Cicer. lib. 1. de o*  
vinat. ita loquitur: *Quid scammonæ radix ad purgandum*  
*quid Aristolochia ad morsus serpentum possit, quæ nomen ab i*  
*ventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio: video quod sa*  
*est, cur possit, nescio.* In quo quidem loco valdè se mac  
rarunt interpretes. Et doctissimus quidem *P. Victor.*  
*Var. lect. lib. 5. cap. 3.* erratum hic in *Cicerone* esse si  
ipsius, sive librariorum culpa judicat, vel herbam illa  
ab inventore suo accepisse nomen. In quo quide  
nunc cum *Victorio* contentionis ferram non recipi  
camus, non videtur tamen *Cicero* hæc absque aucto  
redixisse, nec *Aristotelis*, si *Nicandro* fides, fere alia me  
fuit, ceu jam pridem ostensum est viris doctis, *Turnebo* l.  
adv. c. 20. *Brodeo. l. 2. Misc. c. 2. Guilb. Cantero. Novar. lec*  
lib. 1. cap. 14. Quod vero deinde *Victorius* tradit, nusquam  
sibi lectum, utilitatem hanc *Aristolochia* ex somnio cognitari  
adeoque hanc assertionem *Ciceronis* esse falsam, id no  
sequitur, cum fortassis ijs in libris, quæ injuria tempor  
intercederunt, fuerit annotatum. Omnino igitur exist  
mo id velle *Ciceronem*: monstratum esse remedium huj

herb

erbæ à dijs per somnium, & prodesse etiam, licet ratio  
ur profit, reddi nequeat.

XVI. Idem de herba cynorrhodo non obscure  
raditur. Strictim *Plinius* lib.8. cap.41. *A morſu vero* (ca-  
is) *unicum remedium oraculo quodam nuper repertum, radix*  
*ſylveſtris roſæ, quæ cynorrhodos appellatur.* *Diſertius idem* lib.  
5. cap. 3. *Quippe in repertis alias invenit caſus, alias, ut ita*  
*dixerim, Deus. Inſanabilis ad hoſce annos fuit rabidi canis morſus,*  
*avorem aquæ omniſq; potus afferens odium.* *Nuper cujuſdam*  
*militantis in Prætorio mater vidit inquiete, ut radicem ſylveſtris*  
*roſæ, quam cynorrhodon vocant, blanditam ſibi aſpectu pridie in*  
*uteto, mitteret filio bibendam.* *In Luſitania res gerebatur,*  
*Hiſpania proxima parte: caſuq; accidit, ut milite à morſu incipi-*  
*ente aquas expaveſcere, ſuperveniret epiſtola orantis, ut pareret*  
*eligtoni; ſanatusq; eſt ex inſperato, & quiſquis auxilium ſimile*  
*entavit.*

XVII. Cum primis autem, quantum obſervare li-  
et, admodum celebris hic ritus apud Ægyptios, utpote  
entem ſuperſtitioſiſſimam, fuit. Notatum hoc jam  
um pluribus Ampliſſimo *DN. Præſidi* lib. de Hermet.  
medic. cap. xi. p. 117. Hoc enim nomine tum *Iſidis*, tum  
*Hori*, tum *Serapidis* fana ſatis ſunt paſſim decantata.

XIX. De *Iſidis* fano locus eſt illuſtris apud *Diod.*  
*iculum* lib. 1. biblioth. hiſtor. cap. 25. quem proinde inte-  
rum adſcribam: *Iſis*, inquit, *multa ſanitati hominum pharma-*  
*a inveniffe, Ægyptij tradunt, utpote, quæ ſcientiæ Medicæ fue-*  
*rit peritiſſima, adeoq; multa ſolenter excogitaſſe: quam ob cauſam*  
*nunc quoq; ad immortalitatem elata ſanatione hominum maximè*  
*caudeat, & in ſomnis, ſi quis opem experierit, manifeſtam numi-*  
*ſ præſentiam, promptamq; indigentibus benemerendi facultä-*  
*em exhibeat.* *Ad demonſtrandum hæc non afferre ſe, ajunt,*  
*Præcorum more, fabularum vanitatem, ſed factorum eviden-*

riam: nam totius prope orbis testimonio se niti; qui effusis deam  
honoribus ob præsens in medicando numen, remunerentur. In  
sommis enim adstantem aegrotis remedia contra morbos subicere  
eig, morigerantes nec opinato convalescere. Multos etiam a  
Medicis propter morbi difficultatem desperatos ab hac salutem  
accipere, plurimosq, oculis prorsus captos, aut alia corporis parte  
mutilatos, si ad Dea hujus opem confugerint, in pristini vigoris  
integritatem restitui. Et mox pergit de ejus filio Horo: Ho-  
rum, inquit, interpretantur Apollinem, qui medendi & vari-  
candi artem ab Iside matre edoctus oraculis & medicationibus  
bene de mortalium genere meritus est. Et extant versus Tibulli,  
ubi Isidem ita affatur lib. 1. eleg. 3.

*Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi*

*Picta docet templis multa tabella tuis.* quos; versus  
cum Isis navigantium præses fuerit, (uti discimus ex *Ju-  
venale* Sat. 12. v. 28. *Apulei* *Metam.* l. xi. pag. 414. *Lucian.*  
*dial. Iov. & Mercur.* in f. & *dial. Noti & Zeph. And. Sen-  
flebio* comm. de navibus *Vet.* pag. m. 123.) de naufrago-  
rum suspenfa in templis tabella interpretatur *Levinus Tor-  
rentius* comm. ad *Horat.* lib. 1. od. 5. Nos vero, sive cum  
*Turnebo* adv. l. 16. c. 4. ad utrumque Serapidis officium à  
Poeta alludi dicimus: sive, cum *Mercuriale*, secuti vini  
vocis *Mederi* de medicina interpretamur. Id enim satis  
in propatulo est, Medicinæ quoque gratia Isidem cultam,  
cui rei probandæ *Joh. Bapt. Casalius* lib. de vet. *Ægypt.* rit.  
c. 20. adducit nummum *Claudij Imp.* in quo Isis cum situ-  
la & sistro inscribitur SALVS. AVG. & hinc sinistra  
herbam gerit Isis, dextra navigium, ceu patet ex effigie,  
quam tractatui suo de imaginibus Deorum Antiquorum  
*Jalice* edito inseruit *Vincenarius Cartarus* p. m. Romæ autem  
Isidis templum fuit inter Sixtum & thermas Antonia-

nas ad

nas ad caput viæ novæ, hodieque S. Nerei. vocatur, ut scribit *G. Fabricius* in Roma p. m. 99.

XIX. Non in minori olim fama fuit templum Serapidis, quem *dedita superstitionibus gens ante alios colit*, ut loquitur *Tacitus* de Ægyptijs, ubi supplices ægroti de morborum remedijs per insomnia commoniti. De Canopo insulâ *Strabo* l. xvii. p. 55, ἔχουσα τὸ ἕ Σερραπίδος ἱερὸν πολλῆ ἀγιστεία τιμώμενον, καὶ θρησκείας ἐκφέρων, ὥστε καὶ τὰς ἐλλογιμωτάτας ἀνδρας πιστεύειν, καὶ ἐγκοιμᾶσθαι αὐτῆς ὑπὲρ ἑαυτῶν ἢ ἐτέρων. Συγγράφουσι, δὲ τινες τὰς θρησκείας. Et noti sunt duo illi Alexandrini, alter manu, sive, ut alij volunt, crure æger, cæcus alter, qui per quietem à Serapide moniti sunt, ut remedium suæ valetudinis à *Vespasiano* principe expectarent. *Sueton.* in vit. *Vespasian.* c. 7. *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietem: restitutum oculos, si inspuisset: confirmatum crus, si dignaretur calce contingere.* Referunt historiam *Xiphilinus* quoque *Epit. Dion.* p. m. 318. *Iok. Sarisber.* de nug. curial. l. 2. c. 10. alijque: Sed fusissimè & graviter admodum *Tacitus* hist. l. 4. c. 81. Quam tamen fraude non caruisse, aperte profiteremur. Cum primis autem Alexandria illa fano Serapidis & incubatione maxime fuit famosa, uti conjicere est ex *Cicer.* 2. de divin. *Artermidor.* l. 3. oneirocrit. c. 92. *Eunapio* in vita *Ædesij Mich. Glyca* Annal. part. 4. p. 358.

XX. Et Serapidis quidem medicinæ meminit quoque *Varro* in Eumenidibus, sed is locus ita est corruptus, ut ipse merito Serapidis indigere medicina videatur. Verba autem ejus apud *Non. Marcell.* c. 17. n. 104. ita habent: *Ego medicina Serapi utor, quotidie precantor. Intellego recte scriptum esse Delphis, theon era.*

Item: *Hospes quid miras animo curare Serapim:*

*Quid? quasi non curet tantidem Aristoteles:*

*Aut ambos mira, aut noli mirare de eodem.*

Et Petrus quidem *Victorius* Var. lect. l. 25. c. xi. ita legit: *animo*, Serapidisque medicinam ait, esse, animo curare atque oratione. Ab hoc non multum abit *Ivo Villiomarus* (sive sit *Ios. Scaliger*, vir certe *νεπισκώτατος*) animadv. in loc. controv. Rob. Titij l. 9. c. 12. & retenta dictione *animo* conjicit in Serapidis fano adscripta fuisse illa verba: *Quotidie precantor*, adeoque non aliam Serapidis fuisse medicinam, quam quæ homines cultui deorum & pietati adfuescere institueret: id ipsum verò ex philosophiâ quoque Aristotelis expectari posse, carmen illud innuere: & alludi forte ad librum *Aristotelis* *περὶ εὐχῆς*, cujus meminit *Diogenes Laertius*. Alij vero, quibus facem præluxit Gallia suæ lumen *Turnebus* l. 4. adv. c. 8. pro *animo* legunt *nummo*, & docere inde volunt, primum Serapidem artem pretio exercuisse, quæ antea gratuita erat. Sed nondum nobis, quod pace tantorum virorum dixerim, videntur satisfacere. Et *Ivonis* quidem *Victorius*q; sententia jam tum *δασμωίω* nostro *Hofmanno* lib. 4. Var. c. 42 fuit suspecta. Neque enim vox *tantidem* locum in altero versu poterit habere, nisi vocabulum aliquod præcedat, quod pretium denotet. Altera igitur vox videtur mutanda, aut *tantidem*, si *animo* retineas, aut *animo*, si *tantidem* legas. Quin imò non temerè *Villiomarus*, nisi ex lacero illo *Varronis* fragmento i verit probatum, talem fuisse medicinam Serapidis, cum confset, longè aliam eam fuisse, qualem nempe descripsimus. Quod si igitur in libera *Republ.* sententiam liberè dicere licet, mihi magis arripet *εὐσοχία* *Turnebi*, reponentis *nummo*, & credo versus illos ab avaro sacerdote & impostore esse Serapidis templo inscriptos, qui nummos DEI nomine poposcerit, & ne hoc

ne hoc modo homines absterrerentur, sibi que lucri spes  
collaret, adjecerit, Aristotelem non minori pretio cu-  
are. Oblatos enim nummos dijs ab ijs, qui convalue-  
ant, discimus ex Luciano in Philospuede, ubi de statuâ Pe-  
richij: πολλοὶ ἐκείνην ὀβολοὶ πρὸς τῶν ποδοῖν αὐτῆς, καὶ ἄλλα νο-  
μισματὰ ἔνια ἀργυρῶ πρὸς τὸν μηρὸν, κηρῶ κεκολλημένα, καὶ πέταλα  
ἔξ ἀργύρου, εὐχαί λυγροῦ, ἢ μιᾶς ἐπιτήϊας, ὅπῃσι δὲ αὐτὸν ἐπαύ-  
τηντο πυρετῶ ἐχόμενοι. Neque hoc indignum Serapide vi-  
leri cuiquam debet, cum, si suspicioni Turnebi l. 9. adv.  
24, credere licet, per pagos Serapidis effigiem circum-  
ulerint avari sacerdotes ad colligendam stipem. Aristo-  
elem autem hîc poni existimo κατ' ἐξοχὴν pro quolibet,  
qui medicinam faciat: quæ figura non infrequens est, τὸν  
εἶνα, qui in aliqua arte excellit, ponere pro omnibus ejus-  
dem studiosis. Medicinæ verò initiatum fuisse Aristo-  
elem, ex scriptis ejus colligere est inproclivi: fecisse au-  
tem medicinam, conjicere fortasse quis non incommodè  
possit ex AEliauo Var. lib. 9. c. 22, qui πλείστην φρονίδα εἰς ἰατρικὴν  
abuisse scribit. Aut vero pro voce Aristoteles alia fuerit re-  
onenda illi, qui hæc non admiserit. Vel potius alius ali-  
uis Aristoteles, medendi facultate illa tempestate illoque  
loco felix & magnæ famæ, etsi homo ignotus, fuerit in-  
telligendus. Quemadmodum apud Juvenalem Themio-  
nis & Archigenis medicorum nomina, apud alios alio-  
rum occurrunt. Nisi ut conjicit Ampl. DN. Præses, malis  
legere in versu priore animos, & secundo pro tantidem hos-  
tem & in Aristotelis philosophorum principis & maximi  
proinde animorum medici laudem omnia accipere. An  
orro & illa Varroni adscripta sic legenda? Ego medicina Ser-  
apis utor, quotidie precatur: intelligo enim &c. Aristoteles vero  
Acroamaticis quotidianarum ad Deos precum auctor  
non potuit: ut frustra ad illum περὶ εὐχῆς librum respe-

xerit Villiomarus ille personatus, sive Iosephus Scaliger. Nostræ tales sunt ad hunc difficilem locum post Victorios, Turnebos, Scaligeros, Hofmannos (at quantos viros!) symbolæ.

*Qui melius conjexit, vatem perhibebo optimum.*

XXI. Sed nunc ad Æsculapij fanum pergo ἐγκοιμήσι nostra famosissimum. Uti enim ille ubique gentium cultus, teste *Apulejo* de deo Socratis, ita præterea præses medicinæ fuit, (Vide *Plutarch.* sympos. l. IIX. n. 14.) adeoque in ejus fano incubationes plurimæ peractæ. Fuisse vero id apud Ægyptios quoque eo in usu; fidem facit dialogus, qui sub nomine *Asclepij* circumfertur, & *Apuleio* tribuitur. Vbi *Hermes* juniorem *Asclepium* ita affatur. p. m. 491. *Avus tuus, ô Asclepi, medicina primus inventor, cui templum consecratum est in monte Lybiae circa litzus crocodilorum, in quo ejus jacet mundanus homo, id est, corpus. Reliquus enim (vel potius totus; si est homo totus in sensu vita melior) remavit in cælum: omnia etiamnum adjumenta hominibus præstans infirmis auxilio suo, quæ ante solebat medicina arte præbere.*

XXII. Fuit verò non in Ægypto solum, sed & alibi celebratum satis templum istud. *Plautus* in *Curcul.* act. 1. sc. 1. v. 61.

— — hinc leno agrotus incubat

In Æsculapij fano. Confer *Comædiæ* ejusdem act. 2. sc. 1. & 2. *Philostratus* de vita *Apollon.* Thyanci lib. 1. ὑδέρω δὲ ἄρα εἶχετο, καὶ μέθῃ χαῖρον ἀνχμῆ ἠμελεῖ. ἠμελεῖτο δὲ ὑπὸ τῆς Ἀσκληπιῆς διαλαῦτα, καὶ εἰδὲ ὄναρ ἀντὶ ἑφαλο. Vide *Eusebium* 1. contra *Hieroclem.* *Cicer.* l. 2. de *divinat.* *Sueton.* in *Claudio* c. 24.

XXIII. In insula *Co* tale fuisse fanum, testis est *Strabo* lib. 14. p. 4, 2. ἐν δὲ τῷ περασίῳ τὸ ἀσκληπιεῖον ὅτι σφίδρα ἐνδοξόν

ξον καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μετὸν ἱερόν. quam totam insulam  
Æsculapio dicatam fuisse *Plinius* lib. 19. cap. 1. & *Dion.* lib.  
51. attestantur. Athenis similiter medicinæ gratiâ con-  
sultum Æsculapium, discimus ex *Suidâ* in v. Δομνῖνος, cujus  
verba suo loco dabimus. In Epidauro fuisse fidem facit  
cum *Iamblichus* in lib. de mysterijs, tum *Strabo* lib. 11x. p.  
285. ubi & de Tricca Bæotia idem refert. Romæ in hunc  
finem cultum testantur tabellæ in ejus templo in insula  
Tiberina inventæ, quas deinde producemus.

XXIV. Habuit vero in Pergamo quoque templum  
satis celebre hoc nomine Æsculapius noster. Discimus  
id ex *Herodiano* l. 4. cap. 8. ubi ita de Imp. Antonino Ca-  
racalla: ἠπαίχθη, inquit, εἰς Πέργαμον τῆς Ἀσίας, χεῖρουσθαι βε-  
λόμενος ἔ' Ἀσσηπιῶ. ΑΦικόμενος δὴ ἐκεῖ, καὶ εἰς ἴσον ἤθελε, τῶν  
ὀνειρότων ἐμφορηθεὶς ἤκεν εἰς Ἴλιον. Pergamum adijt Asia civita-  
tem, ut Æsculapij curationibus uteretur. Quo postquam perve-  
nit, somniis, quam diu voluit, captatis, Ilium mox petijt. Me-  
minit & *Lucianus* in Icaromenippo p. 706. Et hinc expli-  
co locum *Galenii* in vi. Epidem. comm. 4. sect. 8. ubi DEI  
meminit, per quem Æsculapium intelligendum esse, sa-  
tis nunc constat. Docet autem inibi ad medicinam dextrè  
faciendam, ægroti quoque requiri obedientiam, quam  
tamen sæpe medicus impetrare nequeat. Ita sanè, inquit,  
& apud nos Pergami à DEO sanatos ei obsequentes cernimus,  
his plerumque, ut per quindecim integros dies à potu abstinerent,  
imperanti: qui profecto nulli medico id jubenti obtemperassent.

XXV. In Hephæstio sive Vulcani æde circa Mem-  
phim factas incubationes, per fit vero simile legenti *Gale-  
um* nostrum. Apud eum enim l. 5. de med. sec. gen. c. 2. He-  
as Cappadox medicamenta quædam, tanquam ex illâ æde  
acceptâ, recitat. Unde illud concludo, incubationes illas  
medicinæ ergo potissimum quidem in præsidium medicinæ



fanis factas, promiscuum tamen illud fuisse, & in aliorum quoque deorum templis salubres monitus per quietem esse spectasse: uti de Priapi quoque fano constat ex *Petronio*. Perchi ducis Corinthi statuae, unde similiter remedia expressa, meminit *Lucianus* in *Philosopho*: Εγὼ δὲ, ὁ Εὐκράτης ἐφ' ἐκείνα ἐχρῆσασα, ὁπότε μὲν ἰάσατο διὰ τρίτης ὑπὸ τῆς ἠπιάλας ἀπολύμενον. Et mox p. 597. πολλοὶ ἐκεῖνο ὀβολοὶ πρὸς τὸν ποδοῖν αἰσθῆσι ἄλλα νομίσματα ἔνια ἀργυρᾶ πρὸς τὸν μηρὸν, κηρῶ κεκολλημένα καὶ πέταλα ἐξ ἀργύρου εὐχαίλινα, ἢ μισθὸς ὑπὲρ τῆς ἰάσεως, ὁπότε δὲ αὐτὸν ἐπαύσατο πυρετῶ ἐχόμενοι. Quin imò videtur hoc omnium oraculorum quasi proprium fuisse, ut aegrotantibus consulentibus remedia morborum praescriberent. Vnde & famosus ille impostor Alexander, ut novi sui Aesculapii oraculum redderet celebre, pharmaca quaedam efficaciae quae norat, consulentibus ex oraculo commendabat, ut videre est apud *Lucian.* in *Alexandro* sive *Pseudomane* loco non uno p. 551. 575.

XXVI. Sicuti autem hic mos ἔτι χθὲς, ἔτι πρῶην coepit, ita etiam non facile, inveterata jam consuetudine potuit interire. Nam & *Plinij* tempore, hoc est circa finem seculi i. viguisse iam tum audivimus: & ad Antoninorum quoque tempora pervenit. Meminit deinde *Arnobius* lib. i. contra gent. meminit *Prudentius* in *Hamantigenia* v. 254, ut quae ad suum usque tempus duraverit. Seculo vero quinto etiam Athenis in usu fuisse discimus ex *Suida* in voce *Δομνῖνος*. Is enim Syriani Alexandrini discipulus & *Procli* συμφοιητῆς fuit, floruitque circa finem seculi quinti & initium sequentis. Post illa tempora desisse hic ritus possit videri: mihi sane hac de re nil lectum est.

XXVII. Superiori tamen seculo adhuc in Italia durasse fidem facit *Georg. Fabricius* commentario ad *Poë-*

tas Christianos, aitque, se Patavij vidisse adolescentes & puellas rusticanas in cœnobio D. Antonij certa nocte incubare. Nec mirum, in hoc eos imitatos fuisse gentiles: siquidem sanctorum apud pontificios post ἀποθέωσιν cultus illi paganorum dæmonolatriæ tam geminus germanus est, ut nec ovum ovo, nec lac lacti similis esse ferè possit.

XXIX. Id verò notandum est, non semper ægrotos ipsos incubuisse, sed alios quoque eorum vicem. Colligere id est ex verbis *Strabonis* de Canopico Serapidis templo jam tum supra (th. 18.) allatis, ubi dicit, viros ἐλλογισμωλάτῃς incubare, *vel pro se, vel pro aliis ὑπὲρ ἑαυτῶν ἢ ἐτέρων.*

XXIX. Non omnes autem voti sui damnatos de remedio morbi indicium cepisse, sed quosdam ex fanis illis æquè incertos & ægros exiisse colligo ex *Plaut.* *Curcul.* act. 2. sc. 1.

*Migrare certum est jam nunc è faxo foras,  
Quando AEsculap. ita sentio sententiam,  
Ut qui me nihili faciat, nec salvum velit.*

Vide quæ supra th. 21. ex *Philostrato* recitavimus.

XXX. Interdum quoque remedia in somno fuerunt monstrata, absque incubatione in loco sacro facta. Ita Alexander. M. per somnum in ore draconis salutarem radicem perspexit, qua vulnus Ptolemæo, amico ipsius intimæ admissionis, à vipera illatum potuit sanari. Referunt historiam *Cicero* 1. de divinat. *Diodorus Siculus* lib. 17. c. 103. *Justin.* 1. 12. c. 10. *Curt.* 1. 9. c. 8. Et est vetus sive historia, sive fabula, de puella Milto, quæ dein Aspasia nomine meretricis illius Milesiæ dicta est, apud *AElium Var.* hist. 1. 12. c. 1. Cum enim laboraret teterrimo menti tumore, in somnis à columba, in mulierem mutatâ, monita est

ta est, ut rosea sarta Veneris jam arefacta caperet, contri-  
taque imponeret tuberi: quæ mandata cum executâ fuif-  
set, & molestum tumorem depulit, & sibi maximam venu-  
statem conciliavit.

XXXI. Solebant autem porro illi, qui remedijs in  
somnia monstratis ad sanitatem pervenerant, in signum  
gratitudinis tabellulas aliave donaria, in fano dei alicujus  
quem imploraverant, suspendere, addita mentione tum  
morbi, tum remedijs, quo morbus expugnatus esset.

XXXIII. Qui ritus alias quoque in usu fuit, ut illi  
qui ex ingenti aliquo periculo evasissent, in DEI alicujus  
fano tabellam ipsius periculi indicem, suspenderent. Ita  
naufragi, cum maris iram effugissent, in tabella quadam  
errores suos curabant depingi, eamque circumferentes,  
ut facilius ipsius periculi imagine misericordiam cicerent,  
stipem corrogabant. Testis mihi *Horat.* de art. Poët. v.  
20. -- *quid hoc, si fractis enatat ex spes*

*Navibus, ere dato qui pingitur?* Et post eum *Pers.* Sat. i.

*Men moveat quippe, & cantet si naufragus, assensum*

*Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum*

*Ex humero portes* Et *Juvenal.* Sat. 13.

— — — *mersa rate naufragus assensum*  
*Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.* Vide *Lucianum*  
de mercede conductis ab init. p. m. 203. Has deinde tabel-  
las una cum alijs donis, quæ periclitantes voverant, in  
templo DEI suspendebant. Docent hoc authores exi-  
mij. Apud *Cicer.* 3. de nat. deor. *Diagoram* atheum ami-  
cus quidam ita alloquitur: *Tu qui Deos putas humana negligere,*  
*nonne animadvertis, ex tot tabellis pictis, quam multi votis*  
*vini tempestatibus effugerint, in portumque salvi pervenerint?* Ita  
*fit,* inquit (*Diagoras*) *illi enim nusquam picti sunt, qui naufragi-*  
*um fecerunt.* *Virg.* XII. *Æneid.* v. 766.

*Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris  
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum.  
Servati ex undis ubi figere dona solebant  
Laurenti Divo, & votas suspendere vestes.*

*Horat. l. i. od. 5. me tabula sacer  
Votiva paries indicat, invida  
Suspendisse potenti*

*Vestimenta maris DEO: quibus paria habet Juven.*

*Sat. 12. v. 26. — votivâ restantur fana tabella  
Plurima.*

XXXIII. Nec de naufragis id tantum constat, sed de alijs quoque magno periculo, ut diximus, defunctis. Ita cum Mario ad Maricæ templum insperata salus effulisset, πίνακα τῶν πράξεων ἐκείνων γραψάμενος ἀνέθηκεν εἰς τὸ ἱερόν: verba sunt *Plutarchi*.

XXXIV. Quin imo, simulac oraculum aliquod, qualecunque illud fuisset, accepissent, solebant illico ij, qui petitum venerant, annotare, ne memoriâ, labili alias, quædam exciderent. Auctor mihi *Scholias tes Sophoclis* in Trachinijs. ἔθος γὰρ τῆς χησιμὸν δεχομένης ὡδὸς χεῖμα γραφῆναι, ἵνα μὴ λάθωνται.

XXXV. Ad eundem igitur modum etiam illos, qui convaluerant, tabellas suspendisse est certissimum, sed nunc pluribus debet probari. Adduximus vero jam tum verba *Tibulli* ad *Isidem*:

*Nunc DEA, nunc succurre mihi, nam posse mederi  
Multa docet templis picta tabella tuis.*

Hucque digitum intendere videtur *Strabo* lib. 17, ubi de Serapidis fano hæc addit: συγγραφοῦσι δὲ ἕνεκ τῆς θεραπειᾶς: Expresse autem *lib. iix*, ubi de Epidauro agit p. 258. αὐτῆ δὲ εὐκ ἄσημος ἡ πόλις, καὶ μάλιστα διατὴν ἐπιφάνισιαι ἃ ἀσκληπιῶ θερα-

πύειν νόσους πανταδοπὰς πεπιστευμέναι, καὶ τὸ ἱερόν πληθεύει αἰεὶ τῶν τε  
καμνόντων καὶ τῶν ἀνακειμένων πινάκων, ἐν οἷς ἀναγεγραμμένα τυγ-  
χάνουσιν αἱ θεραπείαι, καθάπερ ἐν Κῶτι καὶ Τρίκκῃ. Confer Eund.  
lib. 14. p. 452, quæ verba mox dabimus, & Plinium impri-  
mis lib. 29. c. 1.

XXXVI. Quales vero fuerint tabellæ, conijcere  
est in proclivi ex quatuor illis inscriptionibus tabulæ mar-  
moreæ inventis Romæ in Insula Tiberina in templo Æ-  
sculapij, quod olim incubatione illa famosum, dein S.  
Joanni Colevitæ consecratum, ut testatur Georg. Fabricius  
in Româ. p. 94. Conservavit autem eas nobis ὁ χαριστικός  
Hieronymus Mercurialis, de litteris incertum an arte Me-  
dica melius meritus, art. gymnast. lib. 1. c. 1. Et merentur  
hîc quoque legi, saltem Latinè:

- I. Hisce diebus Cajo cuidam caco oraculum reddidit, veniret  
ad sacrum altare, deinde à parte dextera veniret ad la-  
vam, & poneret quinque digitos super altare, & elevaret  
manum & poneret super proprios oculos: & rectè vidit  
populo prasente & gratulante, quod grandia miracula fie-  
rent sub Imperatore nostro Antonino.
- II. Lucio affecto lateris dolore, & desperato à cunctis homini-  
bus oraculum reddidit Deus, veniret & ex ara tolleret ci-  
nerem, & una cum vino commisceret, & poneret supra la-  
tus: & convaleuit, & publice gratias egit Deo; & populus  
congratulatus est illi.
- III. Sanguinem revomenti Juliano, desperato ab omnibus homi-  
nibus, ex oraculo respondit Deus, veniret, & ex arâ caperet  
nucleos pini, & comederet unâ cum melle per tres dies: &  
convaleuit, & vivens publicè gratias egit prasente populo.
- IV. Valerio Apro, militi caco, oraculum reddidit Deus, ve-  
niret & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel,  
& col.

*& collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur supra oculos: & vidit, & venit, & publice gratias egit Deo.*

XXVII. Huc usque marmoris illius inscriptiones, quas integras recitare volui, ut dein melius iudicium de ijs ferri possit. Sed tamen nec omnes inscriptiones tali modo sese habuisse, nonnullas, omissa omni & curationis & morbi mentione, tantum *ἐπισημίας ἐνεκα* conceptas, jubet nos credere vel illa inscriptio, quæ Regij extat ad quatuor columnas, ubi Æsculapij olim fanum. Inscripção ita habet, quam pluribus explicat *Eryc. Puteanus*: Epist. ad Septalium.

DEO ÆSCVLAPIO VAL. SYMPHO  
RVS ET PROTIS SIGNUM SOMNI  
ÆREUM TORQVEM AUREUM EX  
DRACUNCULIS DVOBUS Pf. 7. .:~:~:  
ENCHIRIDIUM ARGENT. P. .:~:~: L. A.  
NABOLIVM OB INSIGNEM CIRCA  
SE NVMINIS EIVS EFFECTVM V. S.  
L. M.

Sicut alias in tabellis titulum solebant adjicere in iudicium, quis suspendisset, & cur. *Ovid. l. 2. Amor. el. 13. ubi pro Corinna pragnante vota facit:*

*Adjiciam titulum: Servata Naso Corinna. Et Metam. l. 9. in fin. — — — dant munera templis,*

*Addunt & titulum, titulus breve carmen habebat:*

*Statius. l. 5. Sylv. 2. v. 246.*

*Belligeris hæc dona diis, hæc tela dicavit:*

*Cernis adhuc titulum.* Quod & suo tempore in tota Italiâ durasse scribit *Georg. Fabric. in Româ p. 160.* Et adhuc ijs in locis, ubi pontificijs superstitionibus inescati degunt homines, præcipue in Italiâ, moris esse novimus, ut à morbis alijsve malis liberati pictas tabellas in Sanctorum.

torum ædibus suspendant, adjecto brevi titulo quali-  
hic: PER GRAZIA RICEVUTA. Quasdam igitur ta-  
bellas in honorem tantum numinis gratique animi indi-  
cinam ab ægris sanitati restitutis suspensas fuisse judico  
quasdam vero, adjuncta historia tum morbi tum reme-  
diorum, quas postremas nunc ulterius examinabimus.

XXXIIX. Non possumus autem negare, nonnun-  
quam significata ægris per somnum remedia virtute natu-  
rali morbis medentia. Id enim sentiendum videtur de  
herba Aristolochia, de Cynorrhodo, similibusque. Et ve-  
ro (ceum monuit jam Amplissimus Præses Hermetice Me-  
dicinæ cap. xi. p. 116.) talia sunt, quæ recenset Heras Cap-  
padox. apud Galen. lib. 5. de medic. sec. gen. c. 2. accepta ex  
æde Vulcani circa Memphim. Quin, ceum idem ceasset,  
omnia quæ Isidis voce olim audierant, simili modo tra-  
dita. Meminit Galenus l. c. *Multiplicis usus est medicamen-  
tum, quod Isidem appellant &c.* Habenturque non in Galeno  
tantum; sed & apud Celsum, Aeginetam, Aetium, alios. Et  
hoc valde confirmat pingue lutum Ægyptiacum, quod  
ad multos affectus ex oraculo fuit commendatum, valu-  
it vero etiam absque oraculi monitu. Verba Galeni hæc  
de re sunt l. 9. de medic. simpl. facult. c. 3. *Vnde sanè & A-  
lexandria & per Ægyptum utuntur multi sua utrique sponte &  
judicio, multi vero etiam moniti somniis.* Et naturaliter quo-  
que, etsi non omnibus morbis, potuit prodesse illa per  
quindecim dies imperata ab Æsculapio abstinentia à po-  
tu, de qua verba Galeni supra th. 23. jam tum recitavimus.

XXXIX. Etsi verò nonnunquam hoc ita contige-  
rit, per tamen est vero simile, id quod asserit Ampliss.  
Præses Hermetice Medicinæ cap. sæpius laudato, plerum-  
que ea tantum à dijs somniantibus indicata, quæ symboli  
fuerint loco; ut adeo vis ipsa curandi non nisi demoni-  
bus

bus accepta sit ferenda. Non aliter ac DEUS Opt. Max. egrotis medicinam facturus denunciavit aliquid, quod symboli duntaxat esset loco, id ipsum verò vel parum vel nihil potuit efficere, sed vera curatio à principio divinitati exorta est. Quod pluribus ostendi tum veteris tum novi fæderis locis possit, si id ipsum nunc ageremus. Sic massa illa ficuum, quâ Ezechiam Regem lethally decumbentem Esaias sanavit (1v. Reg. 20. Jesa. 38. v. 21.) etsi ficus habeant vim maturandi, non egit tamen id propriæ medicaminis sui, sed divinæ virtutis, cujus symbolum erat, facta accessione, utpote cum statim tertio die templum ascenderit, qui in limine mortis erat positus, id quod nequaquam præstare ficus sibi relicta potuissent. Neque remedium illud ex salivâ, quo hominem mutum & surdum Christus sanavit (ap Marc. c. 9. v. 31. & Matt. c. 15.) per se id agere potuisset, si absque DEI digito fuisset. Sed de his viderint οἱ θεολόγων παῖδες. ἐγὼ δὲ ἐφ' οἷς μὴ φρονῶ, σιγαῖαν φιλοῦ. Legatur tamen Vallesius lib. de sacr. Philosoph. cum alibi sparsim, tum imprimis c. 35. & 39.

XL. Uti vero in plerisque omnibus execranda κακοζηλία deum imitari ἀλαστωρ ille perfidus solet: ita nullum mihi dubium est, quin in hoc quoque DEI opera alaudere, vel potius illudere sit annifus. Si enim vel quatuor illas tabulas supra allatas consideremus, luce meridiana clarius est, non nisi symboli loco remedia illa morbis curandis adhibita, vim ipsam suppeditantibus dæmonibus, ceu etiam loquitur l.c. Amplissimus Præses. Sane prima inscriptio, quanta quanta est, meris referta est superstitionibus, quæ per se nihil, apud credulum animum vix quicquam possunt. Cæteræ inscriptiones quæ afferunt remedia, sunt nullius pretij, certè illis morbis tollendis ἀνεπιήδεια. Quod si illa quoque superius allata consi-



consideremus, similes magno numero licet metiri nugas.  
Neque enim rosea ferta Veneris potuerunt tollere & me-  
deri tuberi illi in facie Aspasix, non magis, quam illa  
sive liba, sive frondes ex DEI fano sublata, de quibus  
supra.

XLI. Præterea, si DEI alicujus monitu ad princi-  
pum pedes ægroti accedere jussi sunt, ut Adriani & Ve-  
spasiani, ab iisque valetudinis expectare remedium, fa-  
cile apparet, non fuisse eam, quæ per quietem indicata  
veram medicinam, sed si quæ ejus vires, eas ulterius pe-  
tendas. Rectè autem disputant Theologi, interque eos  
*Bellarminus* quoque lib. ult. de Eccles. cap. 14. diabolicis  
hæc ascribenda esse præstigijs: quod judicium de cæteris  
quoque *χαρίσματα* gentilibus attributis tulerim, quale est  
quod de Pyrrho tradunt *Plutarchus* in ejus vita & *Plin.* l. 7. c. 2. pollice dextripedis lienosis potuisse mederi. Licet  
enim hoc à quibusdam naturali hominum proprietate  
(uti est ex herbis & animalibus certis morbis medicina)  
ascribi sciam, ut à *Borello* cent. 2. obs. 90, revera tamen hoc  
absonum est, & nos potius hic Satanæ fraudes homines  
seducentis agnoscimus. Vide *Camerar.* cent. 3. medit. sub-  
cif. c. 42.

XLII. Quod si historiam consulamus, nondum  
hac de re ita liquidò videtur constare. Sanè, si quid con-  
jecturis licet indulgere, Vespasiani illud magica arte fa-  
ctum per fit vero simile, & quidem opera magi famosis-  
simi, Apollonij Thyanei. Fuit enim hic Vespasiano  
amicitia conjunctissimus, iisdemque, quibus hæc acta,  
diebus, Alexandria fuit, uti *Philostratus* in vita ipsius  
Thyanei docet. Quin imò dum hoc dæmon ex oraculo  
Serapidis denunciavit, ut *oris excremento* cœcum sanaret,  
omnino

omnino, sibi solitâ κακοζηλία, Christum imitari voluit,  
quem sputo medicinam fecisse in sacra historia legimus.  
Adriani verò factum simulatum tantum à ministris fuit,  
ut eum à desiderio mortis removerent.

XLIII. Nec fortassis temerè quis arcanum domi-  
nationis hîc latere suspicetur. Cum enim sciant princi-  
pes, *majestatis imperij salutis esse tutelam*, ut Curtius, *magisq;*  
*famâ, quam visitare res suas*, ut Tacitus loquitur, id unice a-  
gunt, ut se pluris esse quam alios quosvis, populo persua-  
deant: regiumque fastigium divino esse proximum, & co-  
gnatam cælo imperatoriam majestatem: cui fini obtinen-  
do talia miracula, ut ita loquar, forte in medium sparsa.  
Neque dissimulat Tacitus, etsi historiam veram credat,  
fecisse hoc Vespasianum, inductum vocibus adulantium,  
& ut cuncta fortunæ suæ patere ostenderet.

XLIV. In hac autem sententiâ vehementer me  
confirmat, quod Strabo (at quanti judicij historicus &  
geographus!) historiam illam de herba Alexandro M. in  
somnis monstrata, quam th. 29. pluribus testibus confir-  
mavimus, simili de causa vocat indubium. Verba hæc  
sunt, & exstant lib. xv. p. 497. *Dicunt apud Oritas, lethiferis*  
*venenis sagittas præstas illini. Cumq; Ptolemæus saucius pericli-*  
*icaretur, ferunt quendam Alexandro in somno astitisse, atque ei*  
*radicem cum ramo ostendisse, quam contritam saucio imponi jube-*  
*ret: experrectum à somno regem & visum memorem, quasi iam ra-*  
*dicem invenisse: barbaros, cum inventum remedium vidissent,*  
*è Alexandro dedisse.* Εἰκὸς δὲ ἕνα μὲν ὄσαι τῶν εἰδόμεν. τὸ δὲ μὲν  
τῶδες πρὸς τὴν, κολακείας χάριν. Hæc ille.

XLV. Qualia fuerint Imp. Antonini illa remedia,  
quæ contra sputum sanguinis & vertiginem accepisse se  
scribit: qualia item Caracallæ, quæ in Pergamo ab Aescu-  
picio expiscatus, quoniam ipsi reticent, nobis quidem

conjicere non est in proclivi, nec fortassis operæ pretium  
iccirco laborare. Meliora enim fuisse, nunquam quis  
nobis temere persuaserit.

XLVI. Dæmonis hoc tantum opus fuit, ut à vero  
DEI cultu ad superstitiones homines seduceret: nec pro-  
inde mirum si corpori infirmo interdum subvenit, ut eo  
liberius in animam deinde & corpus grassari possit. Hoc  
enim ipsi familiare; neque ab illo fraudum architecto alia  
expectanda sunt remedia, quam quæ morbis ipsis gravio-  
ra. Ita cum pestilentia Romæ mederetur, fecit id institu-  
tione ludorum scenicorum, ut, hâc obscenitate publice  
introducâ, plures lucrari posset animas. Vide *Augustin.*  
*de Civ. DEI.* lib. 1. cap. 32. *Cyprian.* serm. 2. de zelo & livore  
p. m. 190. quo & illud pertinet, quod in *Petronianâ* fabulâ  
in remedium Tertianæ illicitus Veneris usus commenda-  
tur à Priapo.

XLVII. Huic confirmando facit imprimis lepida  
illa historia quam reperire est in *Centone Suida* in v. Δο-  
μῖνος, quam proinde integram recitabo, ut videre liceat  
fraudes dæmonis, & quam nulla vi naturali prædita fue-  
rint illa remedia. *Æsculapius Athenis eandem medicinam*  
*prescripserat ex oraculo, cum Plutarcho Atheniensi, tum Domnino*  
*Syro: huic quidem sanguinem expuenti, illi vero, nescio quo, mor-*  
*bo laboranti. Medicina autem erat, impleri carne porcina. Et*  
*Plutarchus quidem ab illâ medicinâ non abhorruit, utpote, quæ nec*  
*contra leges ipsius patrias esset. Surgens autem à somno, expansi-*  
*in lectulo ulnis, & respiciens ad imaginem Æsculapÿ: ô domi-*  
*ne, inquit, quid verò præcepisses. Judeo eodem morbo laboranti*  
*neque enim illi hanc potuisses prescribere medicinam, ut carne*  
*se suffarcinaret porcina. Hæc cum dixisset, Æsculapius re-*  
*nidens aliam statim prescripsit affectui ejus medicinam. Domni-*  
*anus verò non secutus exemplum Plutarchi, neglectoque more Sy-*  
*ris pa-*

ris patrio, & tunc & semper carnes illas comedit. Dicunt autem si per diem carnem illam non gustasset, morbo illo implicitum, usque dum porcina carne sese iterum saburraret. Hic jam cuivis cordato sive medico, sive cuivis alteri liberum facio iudicium, æstimandi & medicinam hanc, & præstigias Sata-næ, adeoque, an ex hac medicina quicquam in artem nostram possit redundare magni commodi?

XLIX. Quin etiam interdum, de eventu tantum morbi sui sollicitos oraculum DEI consuluisse (quod in sacris Ahasiam fecisse legimus 2. Regum c. 1.) discimus ex *Artemidoro Daldiano* l. 5. oneir. c. 92. νοσῶντις εὐξαίῳ τοῦ Σεραπίδι, εἰ μελλείσω θήσεσθαι τὴν δεξιὰν αὐτοῦ χεῖρα, ὅναρ ὀπισθίσθαι, εἰ δὲ μὴ, ἀριστερῶν. *Quidam agrotus rogavit Serapidem, ut si convalesceret, dextram manum in somnis ipsi concuteret, sinistram, sinistram.* Quid verò hinc discere licebit Medico?

XLIX. Sane omnis hæc medicina vel nihil vel parum nos iuvat: id tamen discimus, quomodo præstigijs suis fascinare dæmon potuerit miseros mortales. Et tamen in ipsis illis gentilibus fuerunt prudentiores quidam, quibus hæc fraudes merito suo suspectæ. Elegantia *Ciceronis* hac de re verba extant 2. de divinatio: *Quid convenit agros à conjectore somniorum potius, quàm à Medico petere medicinam? An AEsculapius an Serapis potest præscribere per somnium curationem valetudinis?* Et falsè satis more suo, eos irridet, qui his imposturis credulas mentes præbent, *Lucianus in Philopseude.* Adeoque non tam objurgandi prisci pagani, quam castigandi illi, si qui in Christiano orbe, post renatam cœlestis verbi doctrinam impias illas nugas sequuntur. τοφλὸν δ' ἔχει ἡτορ ὄμιλος ἀνδρῶν ὀπλεῖστος.

L. His ita propositis vix quicquam videtur superesse, quod allatum huic materiæ lucem possit foenerari. Sed retrahit nos meritò fama Hippocratis, quam apud

omnes doctos, imprimis medicos, sibi peperit immortalem. Dum enim malevolorum quorundam narrationibus malefidis, quos alij magno numero, tanquam bruta pecora, sequuntur, in suspicionem incensi Æsculapij templi devenit, nostrum omnino fuerit veritatem asserere, & ἀσέβη βιοφελειότης ἰατρικῆς, uti *Suidas* eam vocat, vindicare à calumnijs. Non, quod sanctum illud famæ destinatum nomen tangi hâc calumnia existimem: sed, quia non crimine tantum, verum suspicione quoque criminis carere debet Medicinæ nostræ parens. nam

— — paullum differre videtur

*Suspectus, verèq; reus.*

LI. Videtur verò hoc fatum commune habuisse Hippocrates noster cum altero illo, veræ Philosophiæ parente, *Aristotele*, cui jam dudum objectum, quod ævi sui scriptorum illustrium libros è medio sustulerit, destructioneque alieni nominis ad suam gloriam fuerit grassatus. Quos calumniatores ita dudum exceperunt Viri doctissimi, ut *Aristotelis* & pietati & eruditioni suis jam constat honor.

LII. De Hippocrate vero nostro primus, quod sciam, illud annotavit, Geographorum aliàs facile princeps *Strabo*. l. 15. p. 452. ubi loquitur de æde Æsculapij in Co: verba ita habent, Φασὶ δ' Ἱπποκράτην μάλιστα ἐκ τῶν ἀνακειμένων Ἱεραπειῶν ἐνταῦθα γυμνάσασθαι τὰ περὶ τὰς διαίτας. Post hunc *Plinius*, qui *Varronem* insuper auctorem laudat, ex Hippocrate *Herofstratum* quendam nobis efformare nititur. Verba ipsa l. 26. c. 1. merentur expendi. *Eam* (medicinam) revocavit in lucem Hippocrates genitus in insula Co, imprimis clarâ, atq; valida & Æsculapio dicata Is, cum fuisset mos liberatos morbis scribere in templo ejus DEI, quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur.

αιque

atque (ut Varro apud nos credit) jam templo cremato instituisse  
medicinam hanc, quæ clinicè vocatur. cui errori subscripsisse  
etiam Virum longè doctissimum Joh. Langium lib. I. Epist.  
Medic. si vehementer miror: Sanè nimis hic indulgisse  
auctoritati probatorum aliàs scriptorum, clarius est, quàm  
equidem velim.

LIII. Postulamus autem humanitatis jure, ut non  
prius Hippocratem nostrum damnent, quam universa  
cognoverint: & quod omnibus maleficis indulgetur, hoc  
divino nostro seni concedant, ne indictâ causâ conde-  
nnetur. Sane jam ipse Strabo videtur hac de re dubi-  
tasse, quod vocula *Φασί* nos monet, quam non temere  
scriptor ille, qua est prudentiâ, nisi de rumore incerto so-  
let usurpare: quo & Plinij illa: *traditur, Varro credit*, nisi  
ne omnia fallunt, collimant.

LIV. Quicquid vero de hoc sit, cum Strabone qui-  
em facile transegerimus. Id enim utique ex hæcenus  
iactis indubitata veritatis est, quod & ab Amplissimo Præ-  
de est animadversum I. de Hermet. Medicina cap. xi. pag.  
7. parum vel potius nihil illa remedia, quæ incubanti-  
us ægrotis revelarunt, potuisse juvare Hippocratem.  
Cum enim pleraque illa naturali vi medendi destituan-  
tur, quid illa subnotata, sive templo incenso, surrepta,  
in artis exercitio potuerunt juvare Hippocratem. Patet  
hoc cuivis tabellas illas inspicienti, quas proposuimus:  
eteras enim aliam habuisse formam, ut credamus nudè  
ferenti, *λίαν μέγα αἴτημα* est.

LV. Quod si Hippocrates nosset ea medicamenta,  
quæ vim medendi naturalem habuerunt, sublegisset, cur  
id vitio verteremus, quod alijs ducitur laudi? Ita enim  
in medicinâ nostrâ, quæ circa simplicium medicamen-  
tum facultates versatur, comparatum est, ut maxi-

nam partem experiētiā addiscatur. Est autem ea vel propria vel aliena. Et prior quidem alterius sæpe numero opem poscit, cum, ut unus omnia experiatur, εἴη sit τῶν αἰδουμένων. Has igitur facultates à quibusvis extra medicam artem constitutis, à vulgo etiam (prudentiæ tamen elementum est, μέμνησο ἀπιστεῖν) sæpe discimus: & Hippocratem nostrum à DEO tale quid didicisse, erit gloriæ & doctrinæ ipsius fraudi?

LVI. Quanquam nec is est Hippocrates noster, quem sola ἰατρικῆς ὕλης peritia orbi erudito commendaverit: quippe, quæ laudis illius pars minima, quod isti fabulæ etiam recte objicit Amplissimus Præses. Et ex omnibus Hippocraticis libris, quæ eo spectant, non nisi sparsim quædam licet colligere, plurima autem (quæ ipsa tamen pauca sunt) ex libro de aëre aquis & locis. Longe alia sunt, quæ in illo viro tot secula admirata, & posteritas mirabitur. Utinamque superessent illa scripta senis nostri, quæ vel in curiâ majorum, vel injuria temporum perijisse semper ars medica queretur & dolebit! Nisi forte illos quoque, non ab humano conceptos ingenio, sed cœlo lapsos aphorismos ex illo Æsculapij fano profluxisse quis credat, id quod mimi potius risum, quam dignam confutationem mereretur.

LVII. Quod si igitur Hippocrates minimum tantum suæ eruditionis (& id minimum ferè nihil est) potuit accipere ex illo fano, quis sive Plinio, sive Varroni assertenti credat, idcirco ab illo successum? Capitali potius ingenio & summo labore, cui non parum contulit, quod ex Asclepiadarum esset familia, ad eam accessit gloriam qua sibi aliorum comparavit invidiam, tantum abest, ut ipse alijs inscriptiones illas fani Æsculapij inviderit. Nullus enim bonus gloriæ cum jacturâ alterius studiosus

Hippocratem verò virum honestum, bonumq; fuisse: non honoris  
ut glorie sed veritatis amatorem scribit Galenus lib. de atra-  
bile. c. 7. Cujus testimonio libentes accedimus, & unum  
hoc, instar omnium, merito veneramus.

Et hæc quidem de veterum incubatione in templis,  
proque gloria divini senis dixisse  
suffecerit.

## MELIORA MELIORES!

### COROLLARIA.

- I. Αρχιατρός non est Principis Medicus, ὁ τῆ ἀρχοντος ἰατρός,  
ut voluit Cujacius, Casaubonus, alijq; sed princeps, si-  
ve primus Medicorum, ὁ ἀρχων ἰατρῶν.
- II. Archiatri habuerunt Jurisdictionem quandam, ut rectè  
contra Cagnatum probat Hofmannus.
- III. Parabolanorum, quorum mentio fit l. 18. C. de Episc. &  
Cler. etymon, quod affert Tiraquellus, tanta fama Icro  
& Philologo indignum est.
- IV. Περιοδεύται, quorum mentio fit l. 6. §. 1. D. de Excusat.  
sunt Medici, qui, dum medicinam faciunt, urbem circum-  
eunt, ut rectè notat Cl. Cujacius.
- V. Aristotelis liber de Spiritu non est γνήσιος.
- VI. Sectio XXX. Probl. Aristotelis videtur ex officina Theo-  
phraستي produsse.
- VII. Eiusdem historia animalium omnino videtur esse opus Acro-  
maticum, contra, quàm putavit Hoffmannus.
- VIII. Orpheus ille, qui sub Ciceronis nomine prodijt, ante annos  
sedecim, ὑποβολιμαῖος videtur.
- IX. Qui frigus urere dicit, & classicis scriptoribus, & rei ipsæ  
loquitur convenienter.
- X. Plinij illud lib. XI. c. 51. Qui celerius fari cæpere, tardius  
incipiunt ingredi, experientia consentaneum est; & suam  
habet rationem.



- XI. *Manucodiatas carere pedibus, hodie γελοῖον ἐστ.*
- XII. *Imminentes tempestates campanarum pulsu velle depelle-  
re, superstitiosum est.*
- XIII. *Fulmen à solâ media aëris regionis frigiditate non pelli-  
tur deorsum.*
- XIV. *Mare non est altius terrâ.*
- XV. *Quod Aristoteles Leonem esse αἰμύελον scribit, non nisi  
ex parte verum est.*
- XVI. *Vermes, quorum mentio fit Num. 21. v. 6. Sapient. 16. v. 5.  
1. Cor. 10. v. 9. cum dracunculis, India, Aegypti & AE-  
thiopia populis olim & adhuc endemijs, male confundit  
Licetus.*
- XVII. *Qui plantis sexum assignunt, superstitiosi sunt.*
- XVIII. *Vermes in corde gigni posse, & quandoq; genitos, non vide-  
tur temerè admittendum.*
- XX. *Salvatella sectio in lienis affectibus nil præstat singulare.*
- XXI. *Doctrina Paracelsica de tribus corporum principijs vana &  
inanis est*
- XXII. *In Corporibus naturalibus reperiri spiritus, qui sint proximum  
formarum substantialium subiectum, ineptum est & verisimili-  
tudine carens commentum.*
- XXIII. *Vana est Paracelsica scholæ opinio de generatione rerum ex Ili-  
astro aut Cagastro, etsi quodammodo conveniat cum doctrina  
Alberti Magni & aliorum Scholasticorum de origine forma-  
rum ex materia.*
- XXIV. *Medicamentorum Chemica preparatio non semper præfere-  
nda est alteri visitatori.*
- XXV. *Morbos omnes fieri ab archeo quodam, somnium est Parac-  
elsicum.*
- XXVI. *Non reperitur, nec potest confici unum aliquod omnium mor-  
borum remedium.*
- XXVII. *Inter Chemice preparata remedia omnium optima sunt spiritus  
& olea vegetabilium.*